

NUMMUS MEMORIÆ SACER
COSMI MEDICIS, DUCIS FLOREN-
tini: cufus Infulâ Iluâ, contra Turcarum incurfio-
nes, munitâ: Anno Chri-
fti 1555.



Um Saba Rais Turcarum Archipirata, biremibus aliquot ac myobaronibus, universalittora maris mediterranei devastaret: proxima quæque littoribus prædationibus, latrocinijis, incendijs replet: multa castella Christianorum acerrimè popularetur, catenatis ad transira colonis: non mediocris terror Italicis littoribus injectus fuit. Veneti prædationibus hisce excitati Pandulphum Contàrenum, Præfectum classis (quæ erat destinata custodijs sinus Adriatici) mittunt ad audaciam, & incurfiones Piratarum reprimendas, restringendaque tantarum calamitatum incendia. Sed neque partibus suis defuit Cosmus, Magnus Dux Hetruriæ: princeps perpetuâ dignus memoriâ. Præterquam enim, quod pacificatâ Hetruriâ ordinem militum S. Stephani, qui Piratas toto mari prosequerentur, instituit, annuisque proventibus ornavit: quod Regi Hispaniarum, adversus Turcam exercitum paranti, auxiliares copias misit: quod militiam perpetuam, quam Ordinanzam appellant, quadringentis levis armaturæ, & ducentis Cataphractis Equitibus, quorum virtute regni fines tueretur, publico stipendio alendis, constantem erexit, hoc insuper beneficijs Reipublicæ præstandis adijciendum putavit: ut in Infulâ Iluâ (Elbam hodiè dicunt) non procul à Plumbino Tusciæ promontorio sitâ, urbem è fundamentis excitaret, firmamentis ac propugnaculis munitissimam: Cosmopolin appellatam: quò non solum se, ac ipsam Infulam: sed etiam Thuscum vicinosque his Ligures adversus externos hostes immunes & seculos redderet. Facti illius memoriâ posteris, hoc nummo, relinquere voluit. *Jacob: Schrenck à*

Notzingen. Author.

